

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1562 usque ad annum 1563

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1771**

**VD18 9011860X**

§. 87. Aliorum Theologorum sententiæ circa Ordinem.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66641](#)

**Sæcul. XVI.** testificatio: eapropter idem Theologus  
A.C. 1562. studuit id probare ex quarta eadem S.  
 Cypriani epistola in libro primo contenta,  
 quam Sotus produxerat. Finito hoc  
 sermone reliqui tertiae classis Theolog  
 suam exposuerunt sententiam, usque ad  
 secundam Octobris diem; qua absolut  
 sunt Theologorum conventus, reliquis  
 tribus classibus ad Sacramentum Ma  
 trimonii reservatis.

## §. LXXXVII.

*Aliorum Theologorum sententiae circa  
 Ordinem.*

**Sarp. I. 7.**  
**p. 571.**

Supererant plures alii adhuc Theologi  
 qui itidem in hisce conventibus per  
 orantes, suas quisque sententias prome  
 bant, atque inter alios Hieronymus  
 Bravus Dominicanus propugnabat, quod  
 Ordines sint numero septem, & quilibet  
 veri nominis Sacramentum, usus  
 que Ecclesiæ servari debeat, vi cuius  
 per inferiores Ordines intermedios, ad  
 superiores, ipsumque adeo Sacerdotium,  
 contenditur. His dictis inquiebat, a  
 Magistro Sententiarum doceri, quod  
 minores Ordines, & Subdiaconatus ab  
 Ecclesia fuerint instituti, Diaconatus  
 vero in sacris literis indicatus nonni  
 Mensarum ministerium fuerit, non au  
 tem Altaris, prout nostrum esset mini  
 sterium: porro Divum Thomam affirma

re



re ajebat, quod in Ecclesia primitiva Sæcul. XVI.  
 multi, quin per inferiores gradus ad sa-  
 cerdotium conscendissent, illico sint or-  
 dinati Presbyteri, Ecclesia tamen hunc  
 transitum per omnes Ordines eo fine  
 instituerit, ut illi, qui ad sacerdotium  
 aspirarent, per humilitatis viam duce-  
 rentur. Denique concludebat, haud con-  
 sultum sibi videri, si Synodus ultra ea,  
 quæ cunctis Catholicis rata habentur,  
 progrederetur: ut proin in hac mate-  
 ria de Sacramento Ordinis optime a  
 sacerdotio inciperetur, eoque pacto huic  
 Sessioni aptissima fieret connexio cum  
 priori, in qua de Missæ sacrificio actum  
 erat: tum etiam a Sacerdotio ad Ordi-  
 nem in universum progrediendum, nec  
 ultra ad particularia deicendendum sua-  
 debat.

A.C.1562.

Postmodum Thomas Dassius Valen-  
 tinus Canonicus, qui & ipse ex secun-  
 dæ classis Theologis erat unus, circa  
 quartum articulum de Hierarchia Ec-  
 clesiastica prolixo admodum sermone  
 hæc exposuit: „per summam antiqui-  
 tatis ignorantiam enata est de Hierar-  
 chia Ecclesiastica dubitatio; cum res  
 sit notissima, quod in Ecclesia populus  
 semper regi consueverit a clero, &  
 in ipso clero inferiores a superioribus,  
 dum omnes hi gradus ad unum tan-  
 dem Pastorem universalem, qui est E-  
 piscopus

Sæcul. XVI. „piscopus Romanus, r educantur: „Hæc  
A.C. 1562. propositione multis verbis confirmata  
subjicit Dassius: „existimo, quod id u-

„num requiratur, ut hæc veritas mani-  
„festa fiat contrariis erroribus sublati,  
„qui a scholasticis, cum hi nimio subti-  
„litatis studio interdum res claras ob-  
„scurent, sunt introducti, dum Canonis  
„stis se opponunt, *Primam Tonsuram*, &  
„*Episcopatum* inter Ordines referenti-  
„bus: porro de Episcopatu, mirum mi-  
„hi videtur, eos negare velle, quod sit  
„Ordo; cum fateantur scholastici, Epis-  
„copis esse propriam confirmationem,  
„ordinationem, totque alias consecra-  
„tiones, quas, si quis aliis tentaret, ni-  
„hil esset acturus, & tamen Epis-  
„copum esse Ordinem negare audent,  
„quamvis Ordinem dicant Ostiarii mu-  
„nus, cui incumbit, obserare Ecclesiæ  
„portas, quas non minus commode qui-  
„vis laicus posset occludere, quod ad  
„primam Tonsuram attinet, semper a  
„Theologis percepit: *Sacramentum est*  
„*signum externum gratiam spiritualem, ac*  
„*invisibilem significans*: cum ergo in pri-  
„ma Tonsura sit signum, & res significa-  
„ta, necnon deputatio ad res divinas,  
„satis mirari non possum, cur ei Sacra-  
„menti essentiam auferre postulent, præ-  
„fertim cum per eam ad Clericalem  
„statum introitus fiat, atque obtineatur

„par-

Sæcul. XVI.

A.C. 1562.

„participatio exemptionum Ecclesiasti-  
 „carum: ceterum si veritati innititur,  
 „quod Hierarchia a Christo Domino  
 „non sit instituta, tunc neque clerica-  
 „tus, neque ejus exemptio posset divi-  
 „ni juris dici: illud autem omnino patet,  
 „quod Hierarchia in gradibus Ordinum  
 „Ecclesiasticorum consistat, neque alia  
 „insit voci Hierarchiæ vis quam quod sit  
 „Ordo sacer superiorum, & inferiorum:  
 „porro hic nunquam recte constare pos-  
 „set, nisi quis inter Ordines, quod a Ca-  
 „nonistis cum ratione factum, infimum,  
 „seu Tonsuram; & summum, qui est  
 „Episcopatus, numeret; nam eo pacto Hie-  
 „rarchia omnis probe constituta est,  
 „cum primo, & ultimo stabilito, inter-  
 „medii necessario consequantur, qui si-  
 „ne his positis nullo modo consistere  
 „possent.

De altera articuli parte ita differuit:  
 „ex sacrorum Canonum lectione mani-  
 „feste constat, quod in Episcoporum e-  
 „lectione, & Presbyterorum, ac Diaconi-  
 „norum deputatione, summi & infimi  
 „e populo fuerint præsentes, & suffra-  
 „gium tulerint, aut saltem præbuerint  
 „assensum, hoc tamen duntaxat ad Pa-  
 „pæ concessionem facitam, vel expressam  
 „factum; neque enim cuiquam laico in  
 „rebus Ecclesiasticis ulla auctoritas com-  
 „petebat, nisi ex privilegio Pontificio,  
*Hist. Eccles. Tom. XLV.* D d id

Sæcul.XVI. „idque tum fuit concessum, quia popu-  
A.C. 1562. „lus, & primores pietati addicti, rerum  
„spirituum studio, atque amore deti-  
„nebantur, adeoque hoc ipso plus obli-  
„quii, & reverentiae præstabant clero  
„promptioresque ad ipsum oblationibus  
„& donationibus cumulandum reddi-  
„bantur: unde sancta Ecclesia ad eum  
„in quo nunc est, statum pervenerat:  
„at cum hæc pietas refrigescere cepli-  
„set, & sæculares Ecclesiæ inharent,  
„& omni ope niterentur, ut ii in sacris  
„Ordinibus constituantur, qui ipsorum  
„voluntati morem gerere velint, mer-  
„to ademptum ipsis est privilegium,  
„quo fruebantur, atque ipsis ab ordina-  
„tionibus, & electionibus prorsus ex-  
„clusi fuere.„

Inde concludebat, hunc articulum  
non modo tanquam hæreticum fore con-  
demnandum, sed etiam corrigendum  
esse Pontificale, expungendosque omnes  
illos textus, qui ejusmodi consensu men-  
tionem faciunt, quibus non obliteratis  
hæretici semper in rem suam abufuri-  
sunt, ut inde necessarium esse compre-  
bent populi suffragium ac consensum,  
prout hodie dum hæretici semper per-  
peram inculcant.

Absoluto Thomæ sermone alias qui-  
dam Lusitani Regis Theologus itidem  
Dominicanus nomine Franciscus Ferie-  
rus



rus ita effatus est : „non potest in du-Sæcul XVI.  
„biuum revocari Hierarchia Ecclesiæ ca- A.C. 1562.  
„tholicæ, quæ & traditione Apostolica,  
„& omnis antiquitatis testimonio, nec  
„non perpetua Ecclesiæ consuetudine  
„confirmatur: quamvis vero hoc voca-  
„bulum non ab omnibus usurparetur,  
„res tamen significata in usu semper  
„fuit; Dionysius enim Areopagita pro-  
„prium ejus argumenti tractatum con-  
„fecit, eamque Concilium Nicenum ap-  
„probavit, & consuetudinem antiquam  
„nominavit. Porro de illo, quod a Pa-  
„tribus ad quarti sæculi initium jam  
„dicitur antiquum, nemo poterit nega-  
„re, quin Apostolorum sæculo ejus or-  
„tus debeatur: ideo hoc tantum mihi mo-  
„nendum videtur, quod de ea tractandi lo-  
„cus non sit unacum Sacramento Ordinis,  
„tamen si a multis e scholasticis id fiat,  
„qui Hierarchiam in Ordinibus superio-  
„ribus & inferioribus reponunt, quæ ta-  
„men sententia consistere non potest,  
„cum certum constet, Pontificem esse  
„summum Hierarcham, & post illum  
„sequi Cardinales, Patriarchas, Prima-  
„tes, Archiepiscopos, atque Episcopos,  
„& post hos Archipresbyteros, Archi-  
„diaconos, aliosque Prælatos subordi-  
„natos uno capiti, summo scilicet Pon-  
„tifici: insuper si ea disputatio, an E-  
„piscopatus sit ordo, omittitur, de reli-

D d 2

quis



**Sæcul. XVI.**, „quis certum habetur, quod Archiep.  
A. C. 1562. „copatus, Patriarchatus, & Papatus,  
„non sint Ordines, & per Episcopatum  
„nihil aliud, quam jurisdictio, & super-  
„rioritas denotetur: igitur in jurisdic-  
„tione consistit Hierarchia, & in illa  
„Concilio Niceno posita fuit, cum de  
„Pontifice Romano, Alexandrino, &  
„Antiocheno verba fecit; adeoque cum  
„de Ordine tractatur, non est opportu-  
„num agere de Hierarchia, ne forte ad  
„versariis calumniandi caussa pre-  
„beatur. „

## §. LXXXVIII.

*Varia Theologorum sententia circa  
Hierarchiam.*

**Sarp. p. 576.** *H*ic articulus de Hierarchia non minus, ac ille de Episcopatu longe-  
modum tempore discutiebatur; quirs enim speciale quid in medium profene gloriosum censebat, præcipue circa quæstionem: an Episcopatus sit Ordo a sacerdotio diversus, ubi plures in eam sententiam abibant, quod Episcopatus duntaxat dignitate sacerdotio sit super-  
rior, nilque aliud Presbyteratui super-  
addat quam jurisdictionem, non autem diversum Ordinem, quam opinionem sancti Thomæ Aquinatis, & D. Bonaventuræ testimoniis firmabant: Atta-  
men notum est, duas dari potestates di-  
veras,

